Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1513
Quelle:
Copyright:

rum instar per *Versiculos*, quorum numerum usque ad 3745. diligenter computavit in marginibus; verum e subjecta *Tabula* adparet, haberi in hoc Codice non nisi primam *Diarii* Partem; Pars enim altera, cujus contenta in hac *Tabula* enumerantur et consistunt in XIX. *Discourses de l' Auteur au Lecteur* maximam partem contra Ecclesiam Rom. directis, adjunctis tamen quibusdam etiam Epistolis, usque ad numerum *Versiculorum* 8248. procedit. Ut jam de P. I. aliquid notem, ingreditur illa a precibus ad Deum et Christum, in quibus memoratur *la seconde Vieillesse du Pape et sa decrepitude, qui commencera l' année prochaine* (ergo 1714.) *et finira en celle de* 1759. Et tamen *fol.* 213. legas: *Le Pape avoit refusé mes services* &c. *Fol.* 4. incipit Commercium epistolare cum Pastoribus reformatis, qui Coetus exu'um *Gallorum* per ditiones *Hass. Hanover. Brunsvicenses* &c. curabant, nominatim *Couder*, *Dartis*, *Beaumont*, *Lambermont*, *Faucher*, *Valter*, *Casaucau*, *la Bergene*, *Arnaud*, quem adpellat *Colonel et Pasteur*, *Serret*, *Caussse*, et Apostata quodam *Rénaud de la Vidalie*, quem vocat *Gentilhomme proselyte*, *qui estoit Moine predicateur*, quique e ditione Landgravii *Cassel.* fuga se proripuit, ut *fol.* 131. Omnes hos modis omnibus ad perniciosa consilia sua pertrahere nitebatur *Langallerius*, verum illi non dissimulato quidem in Rom. Catholicos odio caute tamen et firmiter respondere, Christi regnum nequaquam armis proferendum esse. Nihilo minus mirari subit eorum patientiam, qui tanto tempore praeberent aures, et calamum commodarent homini stultitiam suam et ignorantiam omni pagina prodenti. De posteriore fatetur ipse *fol.* 122. *Je consens dêstre traitté d' ignorant, dautant que je ne puis pas nier de lêstre et denauoir iamais seu Musa, la Muse* et probat prava scribendi ratio, qua se passim *l bauteur* pro *l' Auteur* signat. Atque haec hactenus *Cassellis. Fol.* 158. p. 2. incipiunt *Amstelaedami* scripta, et quidem a 28. *Aug.* 1714. quorum primum Catalogus Librorum, quibus se plurimum adjutum profitetur. Hos inter sunt quidam *Jaquelotii*, *Picteti*, *Mornaei Plessiaci*, *Supervillii*, &c. alii Apostatarum *Aymonii*, *Gabillonii*, *Gagnerii* &c. multi Anonymi, etiam Fanatici, et quidam pro *Quesnello*. Concludit Noster: *Voila le nombre cher lecteur de 64. tomes ou volumes, sans conter ceux que j'ay laissé à Cassel, ou j'ay puisé tout ce que, graces à Dieu, je sçay de la Theologie morale.* Sequitur Dissertatio pseudoprophetica de proferendo Regno temporali Christi e *Daniele* et *Apocalypsi*, in qua cum invehatur in *Turcas*, certum est, hoc anno nondum eum Foedus illud agitasse, propter quod anno 1716. dum *Stadae* trajectum pararet, mandato Caesareo captus, *Viennam*que perductus est, ut fidem faciunt Literae commeatus *Caroli* VI. datae 28. *Jun.* quas exhibet *Ant. Fabri* (Cph. Leonh. Leuchtii)